

Copia Literarum Sereniſſimi Regis Magnæ Brittanniæ ad Sacram Regiam Majeſtatem Poloniæ.

Georg I. August II.

P. T.



Um vehementer perculſus nobis eſſet animus, atrociſſimâ Sententiâ in Cives Thorunenſes pronuntiatâ, Literas ſcripſeramus ad Majeſtatem Veſtram jam jam mittendas, quibus ſpes erat, æquitatem manſvetudinemq; Veſtram ita commotam fore, ut ſeveritatem Sententiæ iſtius acerbiſſimam plurimùm mitigaret.

Verùm Sangvinem miſerorum Civium Thorunenſium adeò potenter ſitierunt efferati, implacabilesq; eorum inimici, ut etiam tempus præſtitutum cædibus, cruciatibus, carnificinâ anteverterent, ne humanitati, Interceſſionibusq; locus relinqueretur. Nuntio tam inſperato cohorreſcentes, Literas iſtiusmodi, mortem, ſangvinemq; deprecantes, ſupervacaneas fore judicavimus, cùm DEI potiſſimùm juſtiſſimi illius vindicis, animadverſioni, hominum innocentium, crudeliter, iniquiſſimèq; capite plexorum ſtrages committenda eſſe videatur. At enim veró, cúm cruentis hiſce ſupplicijs haud ſatiati Civium Thorunenſium Carnifices, pergant etiam Jura, Libertates atq; Privilegia antiquiſſima, Civitati nihil tale meritæ adimere, Eccleſias porro Scholas, Magiſtratusq; pro libitu ſuo Proteſtantibus ſive Diſſidentibus, uti appellantur, auferre, ac Sanctiſſima & nullo modo temeranda Pacis Olivenſis fundamenta convellere conentur, diutiùs equidem ſilere nequivimus.

Non ſolúm Religionis Evangelicæ defendendæ ſtudium, quo tenemur ardentiſſimum, nos concitat ad Fratres, injurijs calamitatibuſq; oppreſſos, commiſeratione debita proſequendos, ſed etiam Fæderum fides, & Coronæ Brittannicæ Fidejuſſio, quâ Carolus II. Anteceſſor Noſter in hoc Solio beatæ memoriæ, Pacis Olivenſis Leges inviolabiliter conſervandas ſuſceperat, nos laceſſunt, provocantq; ad cauſam Civitatis Thorunenſis, Gvarrantiâ etiam Brittannicâ ammunitæ, tutandam aſſerendamq;! Quo circa ſeriò admodum, enixéq; rogatam volumus Majeſtatem veſtram, ut ex mente pacis illius ſolenniſſimæ & perpetuæ, in Monaſterio Olivenſi confectæ, curet, quo Thorunium Regalis Pruſſiæ Civitas, Juribus, Libertatibus, ac Privilegijs, tam Eccleſiaſticis quàm profanis, illibaté pleniſſimèq; gaudeat & fruatur, ut foveat Ipſa, tueaturq; Paternâ ſolicitudine Magiſtratus, Communitatem, Cives, Incolas, ſubditoſq; dictæ Civitatis Thorunenſis, reſtituatq; in integrum, quidquid immutatum, turbatum, ablatumq; fuerit, contra ſenſum clarum, dilucidumq; pacis ſupradictæ. Hic nobis animus eſt, atq; eundem fore reliquis Fidejuſſoribus confidimus, Civitatem Thorunenſem ob tumultum iſthunc, per plebeculam imprudentem fortè excitatum, minimé meruiſſe, ut juribus atq; immunitatibus antiquis, & Fæderum Sanctitate confirmatis exuatur, verùm violari penitùs Pacem Olivenſem & fas Juſq; tolli, ſi Magiſtratuum delectus mutetur, ſi Eccleſiæ Scholæve Proteſtantibus auferantur, aut deniq; ſi in rebus vel Eccleſiaſticis vel Civilibus à priſtina norma quovis modo deflectatur. Atq; ut Fidejuſſorum partes ſunt monere amicé, & ſedulò operam dare, ne quid detrimenti capiat Fæderum Religio, Maieſtatem Veſtram iterum atq; iterum rogamus, obteſtamurq;, ut velit ſine mora omnem anſam juſtiſſimæ huic querimoniæ præcidere, quo nobis, reliquiſq; Principibus ac Statibus fiat ſatis, & vulnus hoc graviſſimum, Paci Olivenſi impoſitum, quantocyus ſanetur, reficiaturq;, ne Officijs Conſcientiæ permoti, & vi Fidejuſſorum coacti, nos cúm univerſa Natione Britannica, quæ ſummo cum doloris ſenſu atq; indignatione maxima, cladem Thorunij editam accepit, atq; alij pariter ex Fidejuſſoribus, Paciſcentibuſq; communicatis Conſilijs remedia aliundé tanto malo congrua quæramus, comparemuſq;. Quod ſupereſt &c. Dabantur in Palatio noſtro D: Jacobi Die 15 Januarij. 1725.

Copia Reſponſi Sacræ Regiæ Majeſtatis ad Regem Magnæ Brittanniæ.

P. T.

Ex Reſponſo Noſtro ad Literas Credentiales Nobili Eduardo Finch Armigero ac Miniſtro in Comitijs Ratisbonenſibus Majeſtatis Veſtræ, dato, ſufficienter patuit Majeſtati Veſtræ ratio dilati Reſponſi Noſtri ad alias Majeſtatis Veſtræ de 15. Januarij ſcriptas, per eundem Miniſtrum Nobis traditas, & ad Repræſentationes per ipſum oretenus factas. Poſt reditum itaq; Noſtrum, explorato ſenſu hocce in negotio, Nobis à Majeſtate Veſtra commendato, hic pro nunc præſentium Senatorum & Miniſtrorum Statûs Ejuſdem Regni Noſtri, ad præfatas Literas reſpondemus; perpenſiſq; maturâ deliberatione omnibus hujus negotij circumſtantijs, advertimus & incuſamus ſiniſtras, ac veritati planè contrarias delationes de Cauſa Thorunenſi, latoq; in eadem Decreto, quæ animum Majeſtatis Veſtræ, Inclytamq; Nationem Brittannicam exagitarunt, ac ad tales Literas, & ad Repræſentationes acerbiores occaſionem dederunt. Quemadmodum autem amicitiam Majeſtatis Veſtræ ſummoperè æſtimamus, & optimam inter amicas Gentes cointelligentiam optamus, ita Miniſtris Noſtris injunximus, ut dictum Nobilem Eduardum Finch Majeſtatis Veſtræ Miniſtrum informarent genuinè, de enormiſſimo crimine & de juſtitia ac moderatione latæ Sententiæ in Cauſa memorata. Ad hanc igitur, per Miniſtros Noſtros Nobili Finch datam, uberiorem informationem & Reſponſionem nos referentes, in hac manemus fiducia, quòd cognitâ juſtitiâ, Veſtra Majeſtas & Inclyta Natio Brittannica, illos nocentes reputabit, in illos ſenſum doloris & indignationem convertet, qui tam improbâ Relatione commoverunt animum Majeſtatis Veſtræ ad hujuſmodi acerbiores querimonias, inter Nos Genteſq; Noſtras excitandas; Nobis autem & Inclytis Nationibus, quarum Regimen DEUS Nobis conceſſit, iſtas ſuppoſitiones ac ſenſibiles expoſtulationes, rectâ amicitiâ ſuâ & mutuâ benevolentiâ compenſabit, Catholicoſq; ſubditos & Incolas Dominiorum Majeſtatis Veſtræ in ſua protectione fovebit, prouti Nos etiam juſtum reſpectum habebimus Recommendationum Majeſtatis Veſtræ in favorem Subditorum Noſtrorum in Religione Diſſidentium, in Regno Noſtro & Magno Ducatu Lithvaniæ degentium. In hoc voto & ſpe Divini Numinis tutelæ Majeſtatem Veſtram commendamus Dabantur in Regia Varſavienſi Die 18. Menſis Auguſti. 1725.

Reſponſio ad Repræſentationes Illuſtriſſimi Domini Edvardi Finch Armigeri ac Miniſtri in Comitijs Ratisbonenſibus Sereniſſimi ac Potentiſſimi Magnæ Brittanniæ Regis, per Nos Miniſtros Statûs Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ. Data Varſaviæ Die 18. Auguſti 1725.

Ex mente & Beneplacito Sacræ Regiæ Majeſtatis Domini Noſtri Clementiſſimi & præſentis Senatûs, ad Repræſentationes Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ hanc reponimus Eidem Reſponſionem.

Damus imprimis Informationem in Scripto, intuitu Decreti lati & ad Executionem deducti in Cauſa Thorunenſi.

Ex hac Informatione reali dignoſcet Sereniſſimus Rex Magnæ Brittanniæ, quod ſi eam habuiſſet, non potuiſſet unquam pro Conſcientia interponere Inſtantiam ſuam, favore tam atrocium Criminum reorum, nec expoſt tam fervidam facere expoſtulationem.

Univerſus Orbis informatus de circumſtantijs tam atrociſſimi & enormiſſimi ſceleris, admirabitur potiùs Moderationem & Clementiam Judicij Regij, in puniendo tam horrendo crimine.

Sacra

Sacra Regia Majeſtas Dominus Noſter Clementiſſimus & Reſpublica nullos habet Tracta-
tus cum ulla Potentiá, ratione Diſſidentium in Regno & M. D. Lithvaniæ exiſtentium,
Non habet nec habere debet ullam á quopiam dependentiam, tanquam Domina ſui abſoluta,
pariter ut & aliæ Potentiæ in materia Religionis, & in omnibus negotijs Statûs, non alium
Superiorem, niſi DEUM & Enſem recognoſcendo.

Et ſi Sacra Regia Májeſtas Dominus Noſter Clementiſſimus in virtute Pactorum Con-
ventorum cum Republica, obligatus eſt Pacem inter Diſſidentes tueri, nonne hoc idem
punctum obligavit Judicium Sacræ Regiæ Majeſtatis, ad punienda talia crimina in Diſſi-
dentibus, Pacem internam convellentibus, quibus non exorbitantibus, ſed quieté ſecun-
dùm præſcriptum Legum viventibus, eadem pax conſervatur.

Quo ad Tractatum Olivenſem, Hic qualiter violatus ſit, notum eſt univerſis: Quod
videlicet per Suppreſſionem Religionis Catholicæ Romanæ in Livonia, & per ultimarium
Bellum Sveticum Reipublicæ Pacem deſideranti, Mediationem inter Sereniſſimum Regem
Dominum ſuum & Regem Sveciæ defunctum proponenti, & in occurſum non cum
Exercitu, ſed cum Legatione ad hunc finem obvianti, illatum, ac ſub ſpecie Hoſpitis
non Hoſtis intentatum, cum ingenti ruinâ ac deſolatione Provinciarum Reipublicæ pe-
nitùs infractus eſt.

Non manutenuerunt hunc Tractatum & aliæ Potentiæ ad Guarrantiam pertinentes:
quando non ſolùm pro hac injuria non reclamârunt, & Sereniſſimum Regem atq; Rem-
publicam non ſecundârunt, verùm è converſo, illo ipſo tempore, quando Provinciæ
Reipublicæ ingentibus exactionibus, Villarum, Oppidorum, & Arcium combuſtione, cum
effuſione Sangvinis Chriſtiani funditus devaſtabantur, & quando Civitas Thorunenſis in
oppugnatione ac deditione ſua, veram non imaginariam calamitatem graviter patiebatur;
eo ipſo tempore Sacram Regiam Majeſtatem Dominum Noſtrum Clementiſſimum, Prin-
cipem Bellicoſum, Exercitûs Utriuſq; Gentis, paratos ad ferendum obſeſſæ Civitati ſub-
ſidium, ordinantem, ſpe pacis, actualiq; ejus tractatione, a ferendo auxilio revocárunt.

Sed dato, non conceſſô, quòd hicce Tractatus Olivenſis abſq; ſua redintegratione ſub-
ſiſteret, tamen Sereniſſimus Rex Magnæ Brittanniæ ex hoc Decreto legitimé, regulari-
ter & ſervatis juris gradibus lato tum & ex informatione perſpectum habebit, nihil abſo-
luté contra hunc Tractatum in Cauſa Thorunenſi actum eſſe; prout hæc eadem Infor-
matio Jlluſtriſſimæ Dominationi veſtræ in ſcripto data, evidenter demonſtrabit.

Si Jlluſtriſſima Dominatio Veſtra, aut aliquis alius Miniſter Sereniſſimi Regis Magnæ
Brittanniæ fuiſſet præſens Varſaviæ eo ipſo tempore, quando in Comitiis Cauſa Thoru-
nenſis agitabatur, audiviſſet congregatorum ex Gentibus Statuum voces, ac per eos o-
mnium Palatinatuum, Terrarum & Diſtrictuum conclamantes juſtitiam & vindictam læſi
Honoris Divini, violatæ Immunitatis Eccleſiaſticæ & Securitatis publicæ: Nec dubitan-
dum eſt de ſimili in Polonia Epiſcoporum & totius Nationis vera reſolutione, quòd pro-
pter DEUM & Honorem ſuum omnia Sacrificare ſint parati; & licet extrema non ex-
optent, attamen eadem unanimis ipſis ineſt voluntas, in caſu neceſſitatis facta factis opponere.

Tribuimus cuiq; Nationi ſuas Laudes, ſed & Nos provocati, ſine jactantia commemo-
rare poſſumus, quæſitam meritis Gentium Noſtrarum gloriam. Pleni ſunt Hiſtoriarum
Faſti generoſæ fortitudinis, & Bellicæ Virtutis earundem: Prætereamus Silentio Ante-
riorum Sæculorum varijs cum hoſtibus acta, liceat tamen innuere ea, quæ Natio Noſtra
ſola, abſq; Colligatorum Armis, contra Potentiam toti Chriſtianitati terribilem fortiter
geſſit ſub Vladiſlao protunc Principe Regio, demum Rege, tum & ſub alijs ejus Succeſſo-
ribus, præcipué etiam ſub Joanne Tertio glorioſæ Memoriæ, & ſub Moderno Sereniſſi-
mo Rege feliciter nobis Dominante, quando ad ſolam famam, appropinquantis cum E-
xercitu Majeſtatis, Pax Carlovicienſis ſucceſſit. Vidit & modernum Sæculum fortitudiné
& firmitudinem Gentis Noſtræ, quando Sereniſſimus Rex Dominus Noſter Clementiſſi-
mus, & ſi cum parte tantum modò Subditorum ſuorum, alijs in ſciſſione manentibus, ſu-
peravit omnes adverſitates, quarum ſub tempus Belli nemo expers fuit: Ac proinde
quemadmodum Nos nemini quoquomodo derogamus, ita quivis non ignarus rerum, N
bis tribuet affirmabitq;, & nos eſſe Gentem parem ſuſtinendæ reſolutioni.

Eo magis ſi ageretur de defenſione veræ Fidei Sanctæ, certé nulla foret Sciſſio, ſed
omnes libenter ſeſe ſacrificarent pro manutentione ejus: Eſt DEUS in nobis, agitante
caleſcimus Jllo.

Diſſidentes in Religione ſub ſvaviſſimo Dominio Sacræ Regiæ Majeſtatis degentes, nô
poſſunt conqueri, quaſi de violatione legum Patriarum, profeſſioni ipſorum ſervientium;
Adeó enim hæ falſæ ipſorum relationes, ſunt alienæ à veritate; prout é converſo res
eſt certa, quod ijdem Diſſidentes non contenti conceſſâ ex gratia Regum & Reipublicæ

profeſſi-


professione, eâdem indulgentiâ temeré abutuntur, pacem internam turbant, & convellunt, & quod majus, Religioni Orthodoxæ Dominanti multa valde præjudicia adferunt, Remedia violenta, detrectando jurisdictiones competentes, illicita, Legibusq; Patrijs prohibita quærunt, ac per vias artesq; obliquas procurant.

Et licet tam enormibus attentatis, omnes gratiæ & respectus Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ amissionem promeruerunt, attamen nihil contra ipsos Sacra Regia Majestas cum Statibus Reipublicæ statuit, intuitu harum exorbitantiarum, & parata est ulterius quoq; eos protegere, ob æstimationem Amicarum intercessionum Serenissimi Regis Magnæ Brittanniæ favore eorundem, Sine præjudicio Religionis Orthodoxæ Dominantis, & legum Patriarum: idq; in hac fiducia & expectatione, quòd Serenissimus Rex Magnæ Brittanniæ & Natio Brittannica vicissim eandem æquanimitatem Catholicis, in Ditionibus suis existétibus demõstrabit, quatenus possint desiderata in exercitio Religionis suæ frui libertate.

Sperat Sacra Regia Majestas Dominus Noster Clementissimus, quód reproductæ Informationes reales depellent totaliter injustas & sinistras relationes, atq; impressiones, convincent de Justitia, retorquebunt indignationem & resentimentum in eos, qui rem sinistré deferebant, Justitiam in injustitiam, moderatam pænam in excessivum rigorem falsis nominibus commutabant: & quod prout Reges Domini Nostri juncti Sangvine & amicitiâ, ita & Gentes ipsorum in solida permanebunt harmoniâ.

Hanc igitur Informationem & Responsum ex Mandato Sacræ Regiæ Majestatis Domini Nostri Clementissimi & ex mente Senatus præsentis dando Jllustrissimæ Dominationj Vestræ concludimus: Quod si præter expectationem nostram non deberet totaliter satisfacere Serenissimo Regi Magnæ Brittanniæ, quatenus in futura Comitiorum Reassumptione mentem suam Congregatis Regni Ordinibus exponat; Tales enim materiæ, quæ totam Rempublicam tangunt, & ad Ordines Regni pertinent, non aliter resolvi possunt, quàm in Comitijs, circa indilatam Eorundem ex Limitatione Reassumptionem, ex re & commodo publico.





Relatio vera, quomodo & quibus de Causis Thorunenses Cives ob commissa sua crimina in Judicio Sacræ Regiæ Majestatis judicati, & post eductas Inquisitiones Partium juratas ad pœnas Legum Regni condemnati sunt, & quia pœnæ pro delictis illorum irrogatæ non derogant quidquam Pactis Olivensibus.



I excusare, sufficit, nullus in Orbe esset nocens, quisq; etiam sceleratissimus evidentissima sua crimina extenuat, excusat, defendit, id plané conspicimus in facto damnabilissimo Thorunensis Civitatis, quæ postquam Divina, humanaq; jura violavit, speciem induta innocentiæ, quærit compassionem & patrocinia, per gravissimam diffamationem iustissimi Judicii Sacræ Regiæ Maiestatis & totius Reipublicæ Polonæ. quasi iniurii & partialis pro Passione non pro æquitate agentis, proinde congruum est, ut Causa Thorunensis genuinè oculis omnium exponatur, quæ ipsa sua immanitate Sacrilega facile defendet iustitiam.

Pro Informatione meliori notandum, Primò. Quia in Civitate Thorunensi Religio Catholica à Cruciferis illuc introducta, continuò non solum ante bellum Sveticum, sed & post bellum viguit, & in hucusq; viget, habetq; provisam sibi securitatem, ne ab Augustanæ Confessionis Magistratu opprimatur, & ne Catholici à gerendis Magistratibus arceantur sub pæna quingentorum Aureorum Constitutione Anni 1638. fol: 44.

Similem quoq; Religiosi Patres Soc: JESU in hac Civitate degentes, vallatam habent securitatem, cùm concessione Scholarum, artiumq; liberalium ibidem exercitatione, interposita contra Magistratum pænâ, de invasione Domûs Nobilium Sancitâ: (quæ iuxta Statuta Regni est privatio vitæ:) Constitutione Regni Anni 1607. fol. 884.

Nemini quoq; ignotum est quomodo Cives Acatholici Thorunenses, spretis Legibus Regni, sæpius contra Catholicos, imò & ipsosmet Episcopos loci Ordinarios violenter insurrexerint, Jesuitas expulerint: (quorum Reinductio Lege Regni erat demandata:) tumultuariq; consveverint, & posteà suis modis pænas promeritas evaserint, & semel erectione Turris Culmzensis redemerint, unde insolentiores redditi sunt.

Hac spe immunitatis ducti, quod præteriti illorum tumultus leviter transirent, recenter Anno proximè præterito 1724. Mense Julio ex levissima eaq; puerili occasione per suos Gymnasistas Thorunenses tumultum excitarunt. Cui tumultui plurimi etiam possessionati se immiscuerunt, qui violenter & magna vi foribus Collegii & Scholarum effractis Patres Soc. JESU invaserunt, & ibidem quidquid occurrerat fragile, armis frangebant, secabant, confodiebant, imò explosis sclopetis & bombardis trajiciebant, fornaces, fenestras, mensas, libros destruebant Cubicula devastabant, suppellectilem totam Religiosam diripiebant, Religiosos obvios percutiebant, vulnerabant, unum ex illis qui Venerabile SACRAMENTUM defendere satagebat usq; ad mortem (quæ aliquo temporis intervallo subsecuta est:) miserabiliter & lethaliter contuderunt, Crevit ausus ad Sacrilegia, Omnes Imagines Christi Domini, Deiparæ Virginis & Sanctorum gladiis, pugionibus, asciis, secando, fodiendo, lacerando, barbarâ plané sævitiè, tandem etiam Oratoria, Altaria & Sacellû ubi Sacratissimû SACRAMENTUM præsens adorabatur, impiâ feritate aggressi sunt, Altaria profanarunt, imò penitùs dissecarunt, Imagines pedibus contriverunt, conculcarunt, Christi Crucifixi Domini Salvatoris effigiem sculptam pedibus & manibus mutilarunt, Imagines Deiparæ & Patronorum Regni Poloniæ in publica platea, instructo ex Altaribus & Cathedris accenso ferali rogo, cùm magnis in DEI Matrem blasphemiis, subsannationibus, cachinnis, & saltibus concremarunt, hæc autem crimina & immanissima facinora Thorunensium, qui excusare, extenuare, aut defendere volunt, præ oculis habere debent sequentia.

1mo. Quia in Dominiis Catholicis Domus Religiosæ multo magis Oratoria & Sacella, ubi asservatur Sanctissimum SACRAMENTUM, & Altaria dedicata, adeo privilegiata, ut

 ex illis

ex illis nefas sit etiam sceleratissimum vi extrahere, certe non minoribus hi loci gaudent immunitatibus, quàm Regum, Principumq; Palatia, quorum violatores jure communi severè puniuntur.

2do Quòd apud Catholicos Imagines Christi Domini Nostri Salvatoris, DEI Genitricis & Sanctorum, præsertim Tutelarium Regni, sint in maiori longè honore, quàm sunt Imagines Regum & Principum, quæ tamen si ab aliquo malitioso iniuriâ afficerentur multò magis, si in aliqua Civitate in publica platea contumeliosè cremarentur, Profanatores & Combustores earundem Imaginum, criminaliter punirentur, & ipsi Gentiles pro suis Sacris Altaribus justam sumerent vindictam.

3tio. Quia hæc omnia facta sunt in contemptum Religionis Catholicæ Dominantis in Regno Catholico, sub Rege Catholico à Subditis eius.

4to. Quia Civitas Thorunensis & cæteræ Civitates speciali statuto Regni à Sigismundo Primo Rege Anno 1522. habent securitatem & tranquillitatem provisam à quavis violentia inferenda, quam tamen ipsimet Jesuitis intulerunt, & statutum hoc Constitutionesq; Regni violarunt.

Antequam autem condescenderet Judicium Sacræ Regiæ Maiestatis ad formandum in hac Causa Decretum designavit Commissionem ad Inquisitiones in loco delicti educendas adhibendo Commissarios in numero extraordinario, eosq; ex Ordine Senatorio Proceres Regni & Officiales Palatinatuum, Viros omnes Conscientiæ intaminatæ & fidei apud Rempublicam probatissimæ.

Hi non perfunctoriè nec præcipitanter, sed ultra duas hebdomadas continuò de die in diem circumspectissimè scrutando facta & attentata Juratos utriusq; Partis testes examinarunt, subscriptosq; omnium Commissariorum manibus, & singulorum Sigillis munitos ritè clausos inquisitionum rothulos ad Judicium Sacræ Regiæ Maiestatis remiserunt.

Tandem Causa post tres terminos Juridicos legitimè incidens ex utraq; Parte coram Judicio Sacræ Regiæ Maiestatis ingenti motu est agitata, quod Judicium pro Maiori Authoritate & iustitia conflatum ex ministris Regni, & M. D. Lithvaniæ: Senatoribus Proceribusq; ac Mareschalco Comitiorum, & Nuntiis ad Comitia Congregatis, omnibus Viris plenis Authoritate, peritiâ Legum & iustitiâ insignibus; hi utriusq; Partis rationes & defensas ad lancem Legum & Jurium Regni ponderabant, ultra hebdomadam integram istius unius Causæ justitiæ intendentes, demum post longam & maturam deliberationem stetit Decretum contra Tumultuarios & Sacrilegos Thorunenses, in omnibus Punctis observando Leges & Statuta Regni, Leges etiam communes, Leges Culmenses & Saxonicas prout ex contextu eiusdem Decreti apparet.

Hinc quisq; prudenter inferre potest, quod tale Judicium tam Authoritativum, tam prudens, tam iustum, nullum præiudiciosum Legibus, Juribus, & Privilegiis Decretum formavit.

Descendendo ad particularia patuit ex inquisitionibus, quia per quatuor horas & mediam durabat tumultus, huic tumultui adstabant armati milites Civitatenses & frequens recursus Catholicorum cum precibus & lachrymis ad Præsidem iterabatur, ut sedaret tumultum. Interim his omnibus stantibus nec digitum quidem movit Præses ad sedandam hanc tempestatem, & licet tres Quartieras: (alias Exdivisiones:) Civitatis contra quemlibet Civem sub pœna triginta Imperialium imposita per famulos suos cum armis evocari fecit, Quæ tamen Quartieræ, nihil contra tumultum egerant, quinimò illi assistebant, itaq; non erat excusabilis Præsidens, non tantum à gravissima & culpabilissima contra suum Officium dissimulatione, verùm etiam & complicitate.

Pariter Vice Præsidens ante cuius fores Rogus ex Altaribus ad comburendas imagines instruebatur, & in illius oculis Imagines cremabantur, & qui tumultum præstò furentem è fenestra Domûs suæ prospiciendo animavit, ad sedandum ex Officio suo sese non applicavit: (uti iurati Testes deposuerunt:) non erat excusabilis.

Burgrabius similiter eiusdem Civitatis ex Domo sua satis distanti propius accessit, & per semiduas horas tumultum & scenam miserabilem spectabat, & ex vi muneris Burgrabialis ad sedandum hunc tumultum non concurrebat, excusari non potuit.

Clarè patuit malitiosa & punibilis Primorum Civitatis Capitum dissimulatio ac conniventia in hoc tumultu ex Testium Juratorum depositione.

Ex his tribus Præsidens capite plexus est, Vice Præsidens simili quidem pœnâ condemnatus, tamen ad instantiam Partis Actoreæ & Catholicorum ad clementiam Sacræ Regiæ Maiestatis per Commissarios: (qui ad Executionem Decreti Regii deputati erant:) remissus. Burgrabius non nisi ad Sessionem Turris destinatus, quæ ipsa pœna à Parte Actorea illi est condonata.

Novem

Novem subierunt pœnam Capitis, quàm tam ipsi, quàm plures pro sola invasione Collegii Jesuitarum iuxta Leges Regni & specialem Constitutionem Regni supra allegatam Anni 1607. Jesuitis servientem promeruerunt, ex Clementia tamen Judicii, hi novem, qui erant manuales Patratores concisarum & combustarum Imaginum, nec non tumultus Incendiarij & Promotores, non atrociori morte puniti, nec plures uti Leges requirebant, capite plexi sunt, certè si Catholici huic tumultui se immiscuissent, pari vel severiori cum illis pænâ mulctati essent.

Reliqui Invasores Scholarum & Collegii, Damnificatoresq; Sessione Turris, pro mensura excessûs puniti, quibus omnibus ex Clementia Commissariorum & Partis Actoreæ indulgentiâ pæna hæc relaxata est.

Reliquæ pænæ in Decreto Judicii Sacræ Regiæ Maiestatis expressæ, quæ totam Civitatem afficiunt, quia tota Civitas & Magistratus atq; Officiales: (uti Inquisitiones iuratæ testantur:) ad hunc tumultum contribuebant, non tam pænæ censendæ, quam executio Legum ad effectum deducta, iuxta dictamen ipsius iustitiæ, quæ cuiq; quod suum est reddere iubet, scilicet Templi nulliter occupati & Gymnasii ex Monasterio privatim facti restitutio, & in alium locum permissa translatio, ad munia Civilia Catholicorum admissio, damnorum causatorum refusio.

Sciendum etenim primo. Quod Templum Beatissimæ Virginis fuerit & sit proprium PP. Bernardinorum, illudq; ipsis nullo iure Acatholici ademerunt, malâ fide possederunt, ad multas instantias & Regum Poloniæ mandata restituere noluerunt, uti Literæ Regum Sigismundi, Vladislai, Joannis & alia Literatoria documenta producta in Judicio, edocent, quàm Ecclesiam RR. Bernardini ob suam Religiosam modestiam, & uti mendicantes impensis ad movendam litem carentes, iure vindicare non potuerunt, crebris tamen supplicationibus, Regibus porrectis, & Protestationibus factis, de recuperanda opportuno tempore eàdem Ecclesiâ fecerunt, atq; in Judicio Regio, dum Causa inter Patres Soc: JESU atq; Civitatem Thorunensem agitaretur, intervenerunt, proprietatem illius deduxerunt, Acatholici verò nullum Jus ad eandem Ecclesiam produxerunt, itaq; Jure merito in eandem Ecclesiam, de qua expulsi erant, ex Decreto Sacræ Regiæ Maiestatis reinducti sunt. Quibus Religiosis inventarium huius Ecclesiæ non ex integro, uti olim interceperat Magistratus Thorunensis restituit.

Sciendum secundo. Quod Gymnasium Thorunense fons & origo non tantum præsentis tumultus, sed & aliorum antea fuerat, estq; ex Monasterio Religiosorum Bernardinorum privatim erectum, & non est Authoritate Regum & Reipublicæ approbatum, cùm tamen Leges huius Regni non permittant Scholas publicas erigere, neq; ostendi possunt hoc in Regno aliquæ erectæ Scholæ, quæ non sint per Constitutionem Regni ratificatæ, itaq; ex nullitate erectionis, & quia in Monasterio RR. Bernardinorum erectæ, tum ex Causa tumultuum, multarumq; inconvenientiarum hoc Gymnasium RR. Bernardinis, uti proprietariis Decreto Sacræ Regiæ Maiestatis adiudicatum est: Satis gratiæ habent Thorunenses, quia illis Judicium Sacræ Regiæ Maiestatis alium in locum extra Civitatem Thorunensem Scholam seu studium transferre permisit.

Sciendum tertio. Quod per Decretum Judicii Sacræ Regiæ Maiestatis demandatum sit, quatenus in Magistratu Thorunensi, aliisq; muniis Civitatis per medium Catholici sint constituti, hoc primo quasi ex Jure Naturæ factum, uti in Civitatibus Regni Catholici, sub Rege Catholico habeant ius ad munia Civitatensia, prout è converso in omnibus Regnis & Dominiis Dissidentium nullus Catholicorum ad Magistratum & alia munia admittitur. Secundo. Quia est expressè Regni Constitutio supra allegata Anni 1638. nè sub pæna quingentorum Aureorum ullus Catholicus impediatur à muniis & Officiis in Civitatibus Pruthenicis obeundis; Leguntur etiam Rescripta Regum Poloniæ, ut ad Magistratus gerendos soli duntaxat Catholici & Augustanæ Confessionis admittantur.

Quod etiam & Decretum Joannis III. Regis 1678. edisserit; neq: etiam Thorunenses aliquam Legem vel Privilegia habent, quæ ipsis contra Catholicos suffragari possint excluderent Catholicos à gerendo Magistratu & Officiis Civilibus.

Nulla etiam est mentio in Pactis Olivensibus de Templo & Gymnasio Thorunensi & de Magistratu integro Luteranensi constituendo, unicè in his Pactis præscribitur, quo ad Civitates Pruthenicas, ut illis sit Exercitium liberum Catholicæ & Evangelicæ Religionis, quod etiam iisdem Evangelicis per hoc Decretum non est prohibitum, imo Jura eorum eodem Decreto de Electione Magistratûs salva sunt reservata.

Neq; etiam Pacta Olivensia permittunt Acatholicis Residentias Spirituales & Religiosorum Catholicorum invadere, Oratoria destruere, Imagines lacerare, comburere, aliaq;

 crimi-

crimina patrare, prout Thorunenses patrarunt, neq; etiam prohibent pro patratis criminibus Acatholicos subditos Sacræ Regiæ Maiestatis, Judicio eiusdem Sacræ Regiæ Maiestatis punire, quibus Juribus Regni rebellem se hæc Civitas exhibuit, nec deniq; eadem Pacta Olivensia antiqua Jura Catholicis servientia, Constitutionesq; Regni contra Dissidentes latas, precipuè de non arcendis Catholicis à gerendis Magistratibus & securitate Religionis Catholicæ ante Bellum Svecicum, convellunt.

Concludendum est, quod iustè & Sanctè in tam graviter contra securitatem publicam & Religionem Catholicam in Polonia Dominantem delinquentes pro suo demerito puniti non habeant, quod iure conquerantur, & gratis omnino Principes & Monarchas Extraneos fatigent, & inquietent, quin potiùs Clementem sibi iustitiam Serenissimi Regis Poloniarum & Reipublicæ deprædicent.

Restat ut Serenissimi Principes ad quos Dissidentes seu Thorunenses recurrunt, persvasum habeant, quòd pii Reges ac Principes Catholici crimina contra DEI & Divorum Maiestatem acerbius ferant, illaq; ex obligatione Religionis suæ severius punire debeant, quam contra Maiestatem suam proprjam, utpotè humanam perpetrata.

Persvasum quoq; Nobis est, quòd iustissimi & prudentissimi Reges ac Principes Protestantium sceleratis Malefactoribus, Invasoribus, Occisoribus, Sacrilegis, Blasphematoribus, quales in Relatione facti Thorunensis superius demonstrati, assistere nollent, illorumq; crimina inulta non patientur, demum plus fidei & respectûs dabunt Serenissimo Regi Poloniarum & Reipublicæ, pro iustitia iudicanti, quàm mendacibus Malefactoribus, iniustè querulantibus, promptis ad excusandas excusationes in peccatis.

